

quia veritas cognoscenda grave aliquod onus imponit; vel ex passionum tumultu, ut mox dicemus.

260. **Quo pacto affectiones appetitus sensitivi causa existant ignorantiae et erroris.** — Proprius influxus appetitus sensitivi in deceptionem vel ignorantiam mentis habetur duplici ratione potissimum.

I. Propterea quia motus appetitus sensitivi, sive passionem, attentionem debitam, ut veritas cognoscatur, saepe minuunt, ut patet in eo qui nimio dolore aut tristitia afficitur. Praesertim vero id locum habet in iis, qui coeno voluptatum corporalium totos se ingurgitant. * Ex luxuria, ait Angelicus, oritur coecitas mentis, quae quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit; ex gula autem hebetudo sensus, quae reddit hominem debilem circa huiusmodi intelligibilia. Et e converso oppositae virtutes, scilicet abstinentia et castitas, maxime disponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis. (Summa th. 2. 2^{ae} q. 15. a. 3.)

II. Quia huiusmodi passiones accidunt cum transmutatione corporali, ac propterea qui illis vehementer afficiuntur habent quodammodo iudicium ligatum, ne ex norma rationis sententiam pronuntient. Ex hoc principio S. Thomas probat (Summa th. 2. 2^{ae} q. 88. a. 3.), iram prae ceteris passionibus manifestis impedire iudicium rationis.

261. **Causae externae erroris.** — Ultima denique et latissime patens ignorantiae atque errorum causa habetur ex magisterio aliorum, qui vel non recte vel non recta docent. Horribile dictu est, quot et quam perniciosi errores hac nostra aetate in incautorum, praesertim iuvenum, mentibus hoc pacto inscrantur; ut iure merito petere possimus quod de sua aetate scribebat Tullius: * Simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutriceis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat.

Accedunt etiam poëtae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque praesetulerint, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate. (3. Tuseul.)

DISPUTATIO II.

DE CAUSA CERTITUDINIS

SECTIO I.

Brevis descriptio facultatum cognoscendi.

262. **Ordo et ratio dicendorum.** — In praecedenti disputatione expendimus naturam diversorum statuum mentis respectu veritatis assequendae, certitudinis praesertim, in quo solo mens veritatem perfecte assequitur et conquiescit. Reliquum est, pro more cuiusque considerationis scientificae, ut causas investigemus unde praedictus certitudinis status enascitur. Causa porro certitudinis alia remota est, alia vero proxima. Remota ex parte obiecti est ipsa enuntiabilis necessitas [224], ex parte vero cognoscentis est ipsa natura intelligentis, cui proprium est veritatem percipere et de ea iudicare. De utraque haec causa in praesenti specialem tractatum non instituumus; res enim metaphysica est et Logicae limites transgreditur.

Agimus proinde solummodo de causa proxima certitudinis, idque quantum instituta Logicae patimur. Iam age, causa huiusmodi sunt tum facultates cognoscitivae, quae nobis a natura insunt, tamquam media seu instrumenta, quibus ad veritatis cognitionem entimur; tum criterium seu norma, qua hae facultates diriguntur ac dirigi debent, ne a veritatis cognitione deerent utque verum a falso certo discernatur. In praesenti sectione et sequenti de facultatibus cognoscendi sermo erit: in aliis vero de criterio seu norma certitudinis. Est autem hic diligenter animadvertendum, minime debere confundi, ut saepe fit, praesentem tractatum de facultatibus cognoscitivis cum ea Metaphysicae parte, quae circa easdem versatur. Nam etsi magnam affinitatem habent ad invicem idemque sit utrobique materiale obiectum, differt tamen formalis ratio sub qua hae facultates attinguntur in Logica et in Metaphysica. Logicus enim de iis pertractat ea solum attingendo, quae referuntur ad usum earum, prout veritati assequendae deserviunt. Metaphysicus vero earundem naturam intimam, distinctionem, modum operandi, aliaque his consimilia exquirat, idque ex perspecta natura subiecti, quod his facultatibus ornatur. Ceterum, quemadmodum in simili notavimus [64], necessaria est Logicae aliqua brevis et quasi nominalis notitia harum facultatum, ut ipsarum ordinationem ad veritatem contemplari queat.

263. **Quotuplex cognoscendi facultas.** — Facultates cognoscendi sub consideratione logica recte ad quatuor revocari possunt; nimirum *sensum*, *conscientiam*, *intelligentiam*, et *rationem*. Logica enim, ut supra diximus, facultates cognoscendi considerat, prout sunt media seu instrumenta, quibus a natura instrumur. Iam vero sub hoc respectu si considerentur, rationabiliter quatuor enumeratae facultates recensentur. Ad veritatis enim cognitionem homo pervenit vel discurrendo ex noto in ignotum, vel simplici rei intuitione. Si primum eveniat, facultas, quae id praestat, vocatur *ratio*. Secus, vel agitur de veritate per se necessaria, quatenus nempe praedicatum per se conveniat subiecto vel per se ei repugnet [118], vel

sermo est de facto aliquo contingenti, quod prout tale est concretae intuitioni obicitur. Cognito veritatis primi ordinis spectat ad *intelligentiam*: alterius vero ad *conscientiam* vel *sensum*, prout versatur circa ipsum subiectum cogitans vel circa corpora in propria concrecione percepta.

264. **Quid sensus et quotuplex.** — Sensus seu sensibilitas est *facultas perceptiva*, quae ab anima ope organorum corporis exercetur. Nomine *organi* significatur specialis pars corporis peculiari structura gaudens pro exercitio alicuius functionis vitalis. Quod si haec functio sit exercitium sensitivae facultatis, organum ad hoc destinatum proprio nomine *sensorium* vocatur. Pro diversitate sensorii sensus dividitur in *interiorem* et *exteriorem*, prout organum sensationi deserviens est internum vel externum. Sensus exteriores quinque numerantur, nimirum visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Ope vero sensus interioris corpus ipsum nostrum persentimus quatenus externas sensationes exercet, et bona vel mala dispositione afficitur; tum etiam sensationes semel habitas earumque obiecta per imaginationis idola reproducimus. Haec vulgaris indicatio in praesenti sufficit: quae enim ad penitorem distinctionem horum sensuum spectant, opportuniore loco in Metaphysica, ut dictum est, declarari debent.

265. **Actus sentiendi.** — Operatio propria sensitivae facultatis generali nomine *sensatio*, sive *perceptio* vel *cognitio sensitiva* appellatur. Haec operatio, utpote vitalis et perceptiva, minime confundi debet cum impressione pure materiali, qua organum ab obiecto physice immutatur, quemadmodum ex. gr. manus evadit calida ex actione ignis calefacientis. Longe enim aliud est esse calidum et sentire calorem. Notandum est praeterea, ipsum sentiendi actum dupliciter considerari posse, sicut accidit in omni actu perceptivo. Uno modo considerari potest *psychologice*, nimirum ut est modificatio immanens subiecto sentiendi: praeterea spectari potest *obiective*, prout videlicet est vitalis similitudo et quasi reproductio obiecti, quod eo actu percipitur. Si hoc posteriori modo actus sentiendi consideratur, dicitur *terminari* ad obiectum, et quasi egredi

e subiecto sentiente: qui loquendi modus metaphoricus est et circumlocutione quadam exprimit proprium munus cuiusque cognitionis seu apprehensionis, qua talis. Ad rem Suarez. "Terminatio cognitionis ad obiectum non est materialiter intelligenda eo modo, quo intelligitur terminatio lineae ad punctum: sed sumenda est intentionali seu spirituali modo. Cognitionem ergo terminari ad rem nihil est aliud quam rem cognosci, quod fieri potest, etiam si non existat, nedum absit. Sic enim amor terminatur ad rem amatam, prout in se esse potest, quamvis actu non existat: scientia etiam rosae ad ipsam rosam terminari dicitur obiective, quamvis ipsa rosa non existat: quando etiam cognoscitur ens rationis, non terminatur cognitio ad aliquam imaginem eius." (*De Anima*, lib. 3. c. 5. n. 17.)

266. **Obiectum sensibile.** — Res, ad quam actu suo repraesentandam facultas sensitiva de se ordinatur, *ob- iectum* sensibile nuncupatur. Triplex distingui solet, *prop- rium, commune, et per accidens*. Sensibile proprium dicitur *id ad quod percipiendum unusquisque sensus primo et per se ordinatur*; huiusmodi est lux cum suis coloribus respectu visus, undae sonorae respectu auditus, et ita porro. Sensibile commune dicitur *id ad quod percipiendum non unus sensus, sed plures per se ordinantur*: sic se habet magnitudo, et quae magnitudinem consequuntur, ex. gr. motus, numerus, et similia, quae diversis sensibus per se attinguntur. Sensibile denique per accidens vocatur, *quod ratione sui a sensu non attingitur, sed sentiri dicitur pro- pter conuentionem seu propinquitatem quam habet ad ob- iectum per se sensibile*. Hoc modo substantia corporea est per accidens sensibilis ratione sustentationis, quam praestat respectu accidentium per se sensibilem. Hanc tri- plicem divisionem nitide omnino ac eleganter ita declarat S. Thomas respectu sensuum exteriorum. * Dicendum, ait, quod sensu corporali aliquid sentitur dupliciter: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem sentitur illud, quod per se passionem sensui corporali inferre po- test. Per se autem potest passionem inferre aut sensui

in quantum est sensus, aut huic sensui in quantum est hic sensus. Quod autem hoc secundo modo inferre per se passionem sensui, dicitur *sensibile proprium*, sicut color respectu visus, et sonus respectu auditus. Quia autem sensus in quantum est sensus, utitur organo corporali; non potest in eo aliquid recipi, nisi corporaliter, cum omne illud, quod recipitur in aliquo, sit in eo per modum recipientis. Et ideo omnia sensibilia inferunt passionem sensui, in quantum est sensus, secundum quod habent magnitudinem. Et ideo magnitudo, et omnia consequentia, ut motus, quies, et numerus, et huiusmodi, dicuntur *sen- sibilia communia*, per se tamen. Per accidens autem sen- titur illud quod non inferre passionem sensui, neque in quantum est sensus, neque in quantum est hic sensus, sed coniungitur his, quae per se sensui inferunt passio- nem; sicut Socrates, et filius Diaris, et amicus, et alia huiusmodi, quae per se cognoscuntur in universali ab intellectu, in particulari autem a virtute cogitativa in ho- mine, aestimativa autem in aliis animalibus. Huiusmodi autem tunc sensus exterior dicitur sentire, quamvis per accidens, *quando ex eo, quod per se sentitur eis apprehensiva, cuius est illud cognitum per se cognoscere, statim et sine dubitatione et discursu apprehendit; sicut videmus aliquem vivere ex hoc, quod loquitur*. Quando autem aliter se habet, non dicitur illud sensus videre etiam per accidens. * (*Summa th.* Suppl. q. 92. a. 2.) Confer etiam quae S. Do- ctor habet (2. *De Anima*, lect. 13.).

267. **Sensus per se non percipit nisi accidentia exteriora rerum materialium.** — Est autem sedulo animadvertendum, prout ex metaphysica suppono, fa- cultatem omnem sensitivam non modo non extendi extra ambitum rerum corporalium, sed in his etiam percipiendis eius obiectum proprium non esse nisi exteriora rei acci- dentia. * Sensus, ait Angelicus, sislit circa exteriora acci- dentia rei; intellectus vero penetrat usque ad rei essen- tiam: obiectum enim intellectus est *quod quid est.* * (*Summa th.* 1. 2^a q. 31. a. 5.) Et alibi. * Dicendum, ait, quod nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat; di-

citur enim *intelligere*, quasi *intus legere*. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei: obiectum enim intellectus est *quod quid est*, ut dicitur in 3. *De Anima*, text. 26. Sunt autem multa genera eorum, quae interius latent, ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis; sub verbis latent significata verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas significata.....; et in causis latent effectus, et e converso. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus. (*Summa th. 2. 2^{ae} q. 8. a. 1.*)

268. **Conscientia.** Conscientiae nomen actum quemdam significat. * Conscientia enim, ait rursus Angelicus Doctor, secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiae ad aliquid: nam conscientia dicitur *cum alio scientia*. Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet quod conscientia sit actus. (*Summa th. 1. p. q. 79. a. 13.*) Quoniam vero, ut ibidem monet S. Doctor, consuetum est quod causae et effectus invicem nominentur, hinc conscientiae nomen saepe ipsi facultati attribuitur, quae actum praedictum exerceat vel exercere potest. Hic vero actus, prout in praesenti accipitur, ita describi posse videtur: *Secunda seu reflexa mentis intentio, qua in nos plene redimus, ac nostram existentiam nostrasque modificationes praesentialiter intuemur.* Ad huius definitionis intelligentiam duo sunt notanda.

I. Sensus interior, ut supra diximus, percipit sensationes sensuum interiorum, et consequenter bonam vel malam corporis dispositionem. Hinc bruta etiam non modo vident, audiunt, sed etiam expeririunt suam visionem, auditionem, et sic de reliquis sensationibus. Sensibilitas proinde reflexionem quandam exerceat in seipsam, in quantum videlicet ut interna attingit actus sensibilitatis externae. Haec tamen reflexio deficiens est et incompleta. Ut enim perfecta reflexio habeatur, necesse est, eandem facultatem redire ac replicari quodammodo in proprium

actum: id vero sensui, utpote facultati organicae, impossibile est. Haec est ratio, cur bruta, quae sola sensibilitate fruuntur, etsi sensationes suas advertunt, non tamen cognoscunt essentiam suam: ad hoc enim necesse foret reflexio completa quae fiat in totum actionis principium. Oppositum contingit in entibus intellectualibus propter immaterialitatem principii intelligentis. Quare ope intellectus non modo intelligit, sed intelligit se intelligere et esse (1). Ad huiusmodi porro reditum, quo perfecte intelligens reflectitur in seipsum, pertinet conscientia: ac propterea in definitione tradita diximus, eam esse *reflexionem mentis perfectam, qua in nos plene redimus.*

II. Dupliciter homo seipsum intelligit. Uno modo particulariter, prout nempe intelligit se esse et cognoscere: alio modo in universali, prout videlicet intima naturam humanae mentis scrutatur secundum praedicata propria et quidditativa. Haec posterior cognitio pertinet ad rationem, et subtili inquisitione indiget ac minime vulgari: unde multi quoad naturam animae erraverunt. Prior dumtaxat cognitio pertinet ad conscientiam, eaque facilissima est et omnibus obvia. Est autem huiusmodi cognitio *ex-*

(1) Apposite S. Thomas, * Illa, quae sunt perfectissima in entibus, ut substantiae intellectuales redeunt ad essentiam suam reditioe completa. In hoc enim, quod cognoscunt aliquid extra se positum, quodammodo *extra* se procedunt: secundum vero quod cognoscunt se cognoscere, iam ad se redire incipiunt, quia actus cognitionis est medius inter cognoscentem et cognitum. Sed reditus iste completur, secundum quod cognoscunt essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditioe completa. Sensus autem, qui inter ceteros est propinquior intellectuali substantiae, redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire: non tamen completur eius reditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam. Cuius hanc rationem Avicenna assignat, quia sensus nihil cognoscit nisi per organum corporale: non est autem possibile, ut organum medium cadat inter potentiam sensitivam et seipsam. Sed potentiae naturales insensibiles nullo modo redeunt supra seipsas, quia non cognoscunt se agere, sicut ignis non cognoscit se calefacere. (*Q^o Disp. Verit. q. 1. a. 9.*)

perimentalis et intuitiva, quae videlicet determinatur immediate ab objecto secundum quod est in se praesentialiter existens. Hinc in definitione conscientiae addimus, eam esse reflexionem qua nostram existentiam nostrasque modificationes praesentialiter intuemur.

269. **Notatu digna circa conscientiae naturam.** — Ex tradita notione conscientiae haec deducimus, quae digna videntur, ut hoc loco animadvertantur.

I. Reflexio propria conscientiae *psychologica* est, non *ontologica*. Dicitur porro reflexio *ontologica*, quando quis redit in ipsum obiectum iam cognitum; quare vocatur etiam *recogitatio*, et ad mentis meditationem spectat. Est contra reflexio *psychologica*, cum quis redit in ipsum actum cognitionis, in quantum huiusmodi: et haec est propria conscientiae.

II. Conscientia, prout hic consideratur, differt a *moralis conscientia*. Ad hanc enim multa alia pertinent, videlicet non modo testificari quod agimus, sed etiam testificari quid egimus, ac insuper approbare bonum ac remordere seu remurmurare de malo. Contra, ad conscientiam, prout hoc loco consideratur, pertinet hoc tantum, ut scilicet intellectualiter animadvertat existentiam et actus nostros, prout hic et nunc habentur.

III. Non omnia, quae intra nos accidunt, sunt obiectum conscientiae. Eius enim notificationi non subiiciuntur, quae ad vitam vegetativam spectant, sed solummodo operationes cognoscitivae et appetitivae.

IV. Cum per conscientiam praesentialiter intueamur nostros actus, hinc eos non percipimus seorsum a subiecto, sed concrete, prout nempe hic et nunc nos afficiunt. Similiter existentiam nostram non conseimus, nisi ratione operationis, et sub operatione cui substas. Hinc S. Thomas. "In hoc aliquis percipit se animam habere et vivere et esse, quod percipit se sentire, et intelligere, et alia huiusmodi vitae opera exercere." (Qq. Disp. Verit. q. 10. a. 8.)

270. **Intelligentia seu intellectus principiorum.** — Nomen intelligentiae, sicut et conscientiae, stricte non significat potentiam sed actum ipsum intelligendi; trans-

fertur tamen saepe ad ipsam potentiam significandam. Iam vero hoc proprie interest intellectum inter et rationem, quod, ut observat S. Thomas, "intellectus simplicem et absolutam cognitionem designare videtur: ex hoc enim aliquis intelligere dicitur, quod interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit: ratio vero discursum quemdam designat, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit vel pervenit." (Qq. Disp. Verit. q. 15. a. 1.) Hinc ad intelligentiam dicuntur pertinere prima simplicia, quae sine aliquo discursu statim in prima acceptione intellectus percipiuntur. Huiusmodi sunt conceptus primi et incomplexi, qui in prima evolutione mentis efflorescunt, puta conceptus *entis, unius, potentiae, actus*, et similibus: dein vero enuntiabilia per se nota, quorum nempe veritas ex immediata comparatione praedictorum conceptuum statim a mente percipitur, ex. gr. *Non contingit idem simul esse et non esse*. Ex istis primis intellectus omnis humana cognitio, tamquam ex fonte, dimanat: et propter hoc *prima principia* nuncupantur, in ordine nempe intelligibilitatis. Dispositio mentis ad talem cognitionem *habitus principiorum* a veteribus nominata est. Per habitum enim subiectum bene vel male disponitur in suo esse et operari: mens vero respectu huiusmodi principiorum suapte natura optime disposita se habet. Ut enim praclare observat S. Thomas: "Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum." (1. Poster. Analyt. lect. 19.)

271. **Ratio.** — Quod initio iam notavimus [15], si statim in prima cognitione principiorum totam virtutem eorum comprehenderemus, in nobis ratiocinatio locum non haberet. Hoc vero minime contingit propter debilitatem luminis intellectualis humanae mentis: quare non *intellectuales* sed *rationales* vocamur. Iam age, facultas quae id praestat, qua nempe ex primis principiis per se notis progredimur ad notitiam conclusionum, quae in illis virtute continentur, appellatur *ratio*. Non est tamen alia potentia

ab intellectu, sed peculiarem tantum eius functionem designat. Ut enim Angelicus notat (*Somma th.* 1. p. q. 79. a. 8.), mens prout simpliciter intelligit comparatur ad seipsam prout ratiocinando discurrit, sicut quiescere ad moveri, quae profecto non reducuntur ad diversas potentias, sed ad unam eandemque in rebus naturalibus. Dupliciter vero mens discurrit. Uno modo ex solius intelligentiae principiis, comparando nimirum ipsa principia inter se, ut eorundem relationes dispiciat; alio modo applicando principia rebus, experientia interna vel externa compertis, et sic videt in his concrete reperiri, quod prius in illis abstracte contuebatur. Prior ratiocinatio dicitur *pura*, altera vero *mixta*. Exemplo sint: *Ens per se necessarium est aeternum, Sed causa prima rerum est ens per se necessarium, Ergo causa prima rerum est aeterna*; item: *Non datur effectus sine causa prima, Atqui manifestum est experientia docente dari effectus, Ergo datur causa prima*.

SECTIO II.

De naturali veracitate facultatum cognoscendi.

272. **Status questionis.** — Quamlibet cognoscendi facultatem suapte natura in verum ferri, ac propterea minime errare nisi per accidens, nimirum propter aliquod impedimentum, inter prima pronuntiata communis naturae sensu merito adnumeratur. Id perspicue testatur vividum sciendi desiderium cuique a natura insitum nec aliter ipsum nomen *erroris* sensum haberet. Nihil enim aliud est errare, nisi deficere a fine connaturali: quare eo ipso quod facultas cognoscitiva errori sit obnoxia, supponitur eam de se tendere ad contrarium, veritatem scilicet. Haec porro naturalis ordinatio ad veritatem est necessaria conditio, ut facultas cognoscitiva sit medium idoneum cer-

titudinis obtinendae. Status enim certitudinis est ipsemet status assecutionis veritatis proprie et simpliciter dictus: nequit proinde facultas eo obtinendo reputari idonea, quae ad veritatem de se minime ordinatur. Hinc sceptici [226], ut certitudinem omnem labefactent, toti sunt in hac naturali veracitate facultatum cognoscendi impugnanda, sive generatim, sive speciatim. Adversus huiusmodi scepticos conatus praesentem tractatum conficimus. Is non eo spectat, ut qui serio et pertinaciter dubitaret de hac veracitate, a suo errore purgetur; talis enim si daretur, tamquam verus scepticus extra conditionem se constitueret ad usum rationis necessariam: sed unice instituitur tum ut ei, qui ratione utitur, manifestum fiat, quam irrationabile sit de hac veracitate dubitare; tum ut distinctior notitia habeatur fundamentorum, quibus innititur haec veracitas; tum denique ut argutiae scepticorum hac in re dissolvantur. Quaestionem breviter expediemus: fusior enim tractatio hac in re tenebras potius quam lucem afferre consuevit.

THESIS VII.

Facultates cognoscendi, quae homini a natura insunt, per se non decipiuntur in propriis obiectis detegendis. Hinc, adhibitis conditionibus, quas sibi singulae exposcunt, sunt media certitudinis infallibilia.

273. **Explicatio I. partis.** — Prima pars manifeste elucet ex ipsa explicatione terminorum. Facultas enim cognoscendi ad hoc suapte natura tendit ut suum proprium obiectum detegat; id enim ipsum nomen cognitionis significat. Obiectum autem detegere, atque ipsi perceptione congruere, idem plane est. Congruentia autem perceptionis cum obiecto, eiusdem perceptionis veritatem constituit. Ergo veritas est consequentia naturalis cognitionis in quantum huiusmodi, ac propterea impossibile

est, ut detur naturalis aliqua facultas cognoscendi, quae ad veritatem naturam suam non ordinetur. Deceptio autem veritati cognitionis opponitur. Nulla igitur facultas naturaliter cognoscitiva per se decipitur in proprio obiecti perceptione. Hinc, ut supra diximus, ipsum nomen *erroris* esset vox sine mente, nisi subaudiatur facultatem, cui tribuitur, ipso naturae pondere ferri in eius oppositum, nimirum in veritatem; quemadmodum Aristoteles (2. *Phys.* c. 8.), ex hoc ipso quod monstra sint quasi naturae *peccata*, colligit intentionem naturae per se ferri in operationem *rectam*.

Confirmatur. Quemadmodum ceterae perfectiones creaturarum sunt participata quaedam similitudo perfectionum divinarum, ita lumen cognoscitivum, intellectuale praesertim, quod refulget in natura creata, est derivata quaedam imago, et quasi irradiatio increati luminis divinae mentis. Ut enim in *Metaphysica* docetur, unaquaque creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Opus est proinde in quacumque virtute cognoscitiva aliqua reliceat similitudo sui prototypi. Imparticipatum autem lumen divinae mentis perfecta totius veri cognitione absolvitur. Hanc proinde perfectionem, deficienter quidem, aliquo tamen modo referre debet lumen cognoscitivae virtutis quod in creatura participatur. Id vero nullatenus contingeret, si suapte natura ad veritatem occultandam et ad nos decipiendos ordinaretur. Huc facit illud Tertulliani, qui ita eleganter insectatur Academicos naturalem veritatem sensuum denegantes. "Quid agis, inquit, Academicus procacissime? totum vitae statum evertis, omnem naturae ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excaecas, quum cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruentisque fallaces ac mendaces dominos praefecerit sensus. Annon istis universa conditio subministratur? Annon per istos secunda quoque mundi instructio accessit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, virtus, cultus, ornatusque? Omnia totum vitae saporem condie-

runt, dum per hos sensus omnium homo animal rationale dignoscitur intelligentiae capax, et ipsius Academiae., (*De Anima*, c. 17.) Pergit deinde ostendendo ipsam fidem nutare in opposita opinione; est enim fides ex auditu, ut ait Apostolus.

Praeterea, impossibile est de naturali veracitate vel unius cognoscitivae facultatis dubitare, quin eo ipso in dubium revocetur naturalis veracitas omnium aliarum. Omnes enim aequae a natura ad obiectum rite attingendum nobis tributae sunt, ac propterea eadem omnino ratio militat pro veracitate omnium et singularum. Iam vero, si semel dubium istiusmodi inducatur, omnis omnino naturalis certitudo evadit impossibilis; deesset enim medium idoneum ad illam obtinendam. Nullius ergo cognoscitivae facultatis naturalis veracitas in dubium vocari potest, quin certitudo quaelibet naturalis labefactetur. Porro supra (in th. III.) ostensum est, conatum huius generis esse immoralem et frustraneum.

274. *Explicatio II. partis.* — Sequitur ex praecedenti. Nam facultas quaelibet naturalis actum proprium connaturalem recte exercet semper ac habet omnia, quae ad hoc ex ipso naturali ordine requiruntur; natura enim remotis impedimentis pergit conficere suum cursum. Atqui, ut supra declaratum est, actus connaturalis cuique facultati cognoscitivae est cognitio suo proprio obiecto respondens, vera nempe. Ergo si debitae adfuerint conditiones in exercitio cuiusque cognoscitivae facultatis, eius cognitio vera sit oportet. Ad rem S. Thomas. "Ad proprium obiectum unaquaque potentia ordinatur secundum quod ipsa. Quae autem sunt huiusmodi semper eodem modo se habent. Unde, manente potentia, non deficit eius iudicium circa proprium obiectum." (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 6.) Hinc autem manifeste consequitur, quod asserimus, facultates scilicet cognoscendi, quibus a natura instrumur, si rite adhibeantur, merito habendas esse tanquam media certitudinis infallibilia. Et primo quidem recte dicuntur *media certitudinis*. Ad statum enim certitudinis requiritur tum cognitio obiecti vera, tum con-

gnitio ipsiusmet veritatis. Primum praestant facultates cognoscitivae, etiam quatenus simpliciter apprehendunt; alterum vero iudicio mediante, quod perfecte et formaliter competit intellectui, inchoative autem et virtualiter etiam sensibus. Sunt praeterea media certitudinis *infallibilia*. Si enim rite adhibeantur cognitionem pariunt ex se et necessario veram; talis porro est cognitio infallibilis.

275. *Coroll. I.* — **Sensus exterior in perceptione sensibilis proprii non fallitur, nisi sit impedimentum in organo vel in medio.** — Sensus daretur error in actu facultatis cognoscitivae rite adhibitae. Contingit autem impedimentum ex parte organi, si non est sanum vel non apte dispositum. Hinc quemadmodum ait Augustinus: "Palato non sano poena est panis, qui sano suavis est; et oculis aegris odiosa lux, quae puris amabilis." (*Confess.* lib. 7. c. 16.) Similiter qui habet palatum aliquo sapore adhuc suffusum, alteri saporis gustando est ineptus. Medium etiam, quo plerumque indiget obiectum, ut in sensum agat, si non sit in debita proportione, potest etiam esse causa, cur sensus decipiatur. Sic, si quis per vitrum viridis coloris respicere velit, omnia simili colore pertusa videbit.

276. *Coroll. II.* — **Ad cavendum errorem in perceptione sensibilis communis, non unus, sed ceteri etiam sensus coniunctim adhiberi debent.** — Integra enim facultas, quae nobis ad huiusmodi sensibile percipiendum a natura tributa est, posita est in complexu sensuum, quibus talis perceptio est communis. Quapropter plenum testimonium tunc habetur, quando sensus in perceptione talis obiecti coniunctim abhibentur. Hinc oculus, si testimonio aliorum sensuum non adjuvetur, plerumque illusionem patitur circa magnitudinem, figuram, distantiam, motum, et situm corporum; haec enim sunt sensibilia communia.

277. *Coroll. III.* — **Deceptio nulla esse potest in relatione sensuum, prout affectionem propriam renuntiant.** — Nam in tali testimonio nequit subesse fallacia neque propter mediū impedimentum, neque pro-

pter organi vitium. Non enim est ullum medium in hac relatione, sed obiectum per se determinat potentiam a qua percipitur. Sensatio autem, prout subiectiva est, ipsum organi vitium supponit eique apprime respondet. Sic ex gr. cum aegrotanti dapes insipidae videntur, est quidem deceptio, si talis defectus saporis attribuitur dapibus, non vero si attribuitur dumtaxat ipsi affectioni qualem lingua aegrotantis experitur. Apposite S. Thomas. * Dicendum, ait, quod sensum affici est ipsum eius sentire. Unde per hoc quod sensus ita nuntiat, sicut afficiuntur, sequitur, quod non decipiamur in iudicio, quo iudicamus nos sentire aliquid. Sed ex eo, quod sensus aliter afficitur interdum, quam res sit, sequitur quod nuntiet nobis aliquando rem aliter quam sit, et ex hoc fallimur per sensum circa rem, non circa ipsum sentire. (*Summa th.* 1. p. q. 17. a. 2.)

278. *Coroll. IV.* — **Idealismus vulgaris est plane absurdus.** — Hoc nomine significatur ipsum generale scepticorum pronuntiatum [226], quatenus refertur ad realem corporum existentiam. Tale commentum in recentiori philosophia instauratum fuit maxime vi principii Cartesiani, quod videlicet *nos sensibus non attingamus nisi nisi actus solius animae*. Hinc serio agitari coepta est famosa illa quaestio *de ponte*, ut aiunt, quo ex sensationibus ad obiecta fiat transitus. Huiusmodi vero pontem cum plures non invenerint, hinc vel cum Berkeleyo et Humio incertam aut problematicam esse corpori mundi existentiam definirunt, vel cum Malebranchio confugerunt ad fidem divinae revelationis auctoritate innixam ut de corporum existentia nobis constare possit. Ut autem tale paradoxum tueri possent, dupliciter explicare conati sunt, remotis corporibus, sensiles corporum representationes, quas experimur. Primo, ex ipsa dispositione subiecti cogitantis; secundo, ex divina operatione in nostras facultates. Prior explicandi modus dicitur idealismus *subiectivus*; alius vero *obiectivus*. Iam age, quantum ab omni recta ratione abhorreat talis positio, nullo negotio ex dictis colligitur. Si enim corpora non extarent, nullum etiam

daretur sensibile nec proprium nec commune; dempta enim substantia demuntur etiam accidentia ei conaturalia. Sensus itaque in perceptione obiecti, ad quod percipiendum per se ordinantur, perpetuo ac suapte natura deciperentur ac deciperent. Neque reputari potest sufficiens ratio representationum corporum, quas experimur, duplex illa explicatio ab idealistis inducta. Non quidem divina operatio. Deus enim tamquam naturae auctor non est auctor falsitatis, aut mendacii pater. Nec etiam ipsa dispositio subiecti cogitantis, corporibus non extantibus, causare posset sensiles representationes, quibus afficimur. Vel enim id efficeret libere, vel ex necessaria propriae naturae conformatione. Primum est plane risibile. Constantur enim experimur eiusmodi representationes tanta necessitate, praeter voluntatem, nobis imponi, ut, etiam nobis nolentibus ac vehementer repugnantibus, oriantur ac permaneant. Naturalis vero animi interna conformatio est causa plane inproportionata effectui, qui ei ab idealistis tribuitur. Animus enim noster ab iisdem fingitur pure spiritualis nulli corpori coniunctus, cuius natura eadem iugiter perseverat: perceptiones autem sensiles, quas experimur, sunt compositorum et materialium ac composito et materiali modo, et quidem ita ut extensionem et compositionem in nobismetipsis perpetuo experiamur; variantur etiam assidue ita ut talem diversitatem ac nexum non a dispositione subiecti, sed ab exterioribus omnino causis repetendum esse praeseferant.

279. *Coroll. V.* — **Conscientiae testimonium intra limites proprii obiecti est irrefragabile.** — Ratio similis est ei, quam pro veracitate sensationis subiective inspectae supra attulimus [277]. Nam respectu conscientiae realitas tota ipsa apparentia est, et quocumque modo obiectum eiusque applicatio facultati alterari fingatur, ipsa alteratio in obiectum convertitur. Hinc manifesta habetur contradictio in eo quod conscientia fallatur: perinde enim esset ac non habere affectionem *quam experimur prout experimur*. Quocirca nihil mirum, quod eius veracitas ipsa dubitatione affirmetur.

280. *Coroll. VI.* — **Prima intelligentiae principia sunt necessario vera.** — In huiusmodi enim principis impossibile est etiam impedimentum, quo praepediatur facultas cognoscitiva, quominus rite attingat suum obiectum. Ut enim supra declaravimus [249], falsitas nequit subire in mentem nisi mediante intellectuall compositione, qua videlicet vel definitio unius attribuitur alteri, vel partes definitionis componuntur invicem, quae simul sociari non possunt. Quare in conceptibus primis et incomplexis nulla falsitas, ne per accidens quidem, admisceri potest. Iam age, munus intelligentiae non est aliud, nisi prima simplicia id genus intueri eorundemque veritati ipso suae naturae pondere adhaerere [270]. Egregie S. Thomas. "Obiectum, ait, proprium intellectus est quidditas rei. Unde circa quidditatem rei per se loquendo intellectus non fallitur, sed circa ea, quae circumstant rei essentiam vel quidditatem, intellectus potest falli, dum unum ordinat ad alterum vel componendo vel etiam ratiocinando. Et propter hoc intellectus etiam circa illas propositiones errare non potest, quae statim cognoscuntur, cognita terminorum quidditate: sicut accidit circa prima principia; ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiae circa conclusiones. Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa *quod quid est* in rebus compositis: non, ut sensus, ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo: sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem..... Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non potest decipi, sed deficiamus in totaliter non attingendo." (*Summa th.* 1. p. q. 85, a. 6.)

281. *Coroll. VII.* — **Ratiocinium, si ex primis intelligentiae principis recte procedat, nobilissimum instrumentum est assequendae veritatis.** — Prima enim intelligentiae principia naturalem cognitionem veritatis, ad quam humana mens pervenire potest, tamquam in semine continent. Evolvitur autem mediante ratiocinio [271]. Hinc scientiae omnes non nisi ope ratiocinii novis veritatibus

augentur. Duo tamen ad hoc requiruntur. Primo, ut ratiocinium sit rectum seu legitimum, nimirum apprime servando *leges* bonae argumentationis, quas logica tradit. Secundo, ut non procedat nisi ex iis pronuntiatis, quae reipsa ad intelligentiam pertinent, non vero ex postulatis gratuitis, quae principiorum dignitatem non merentur. Nam, ut recte notat S. Thomas, "certitudo scientiae tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia." (Qq. Disp. *Verit.* q. 1. a. 1.)

SECTIO III.

Diluuntur obiecta contra doctrinam praeedentem.

282. **Duplex obiectionum genus.** — Quae a scepticis proponi solent contra thesim praeedentem, alia generatim impetunt ipsam veritatem cuiusque facultatis cognoscitivae, quaedam autem veritatem singularum. Ad haec capita potissimum revocari posse videntur.

Obiectio I. — Allatae omnes demonstrationes petitionem principii continent. Nequit enim veritas facultatum cognoscendi demonstrari, nisi ante demonstrationem ut indubia supponatur.

Respondeo, *negando suppositum*. Probationes, quas attulimus, non ut veri nominis demonstrationes a nobis fuere adhibitae. Demonstratio enim usurpanda est ut res vere dubia illustretur, non autem quando agitur de ipsis cuiusque demonstrationis principiis, cuiusmodi est veritas facultatum cognoscendi. Etsi vero haec principia demonstrationi non sunt obnoxia, possunt tamen declarari, tum ut is qui ratione utitur reflexione mentis distincte consideret fundamenta, quibus eorundem principiorum certitudo superstruitur, tum ut manifestetur absurditas

petitionis oppositae et futilitas sophismatum quibus ab adversariis impetuntur. Talis porro est probatio, qua usi sumus.

Instabis. Licet veracitas facultatum cognoscendi non demonstretur, ipsa tamen nobis constare debet aliquo modo ut iure merito illam admittere possimus. Atqui id est impossibile. Nam haec veracitas quo demum cumque modo constet, innotescere tandem debet per ipsas facultates et quidem ut veraces. Ergo antequam nobis constet de veracitate nostrarum facultatum, debemus scire hanc ipsam veracitatem, quod manifestam implicatorem continet.

Respondeo. *Conc. maiorem et nego minorem*. Ad prob. *dist. antec.*, quatenus facultates cognoscendi debent esse reipsa veraces, *conc.*; quatenus praenosceri debemus hanc veracitatem, *neg.* Duo confunduntur ab adversario in obiectione, videlicet ipsa veracitas facultatum, et cognitio reflexa huius veracitatis. Ut hanc cognitionem habere possimus, requiritur profecto, ut in nobis reipsa *insit* facultas ad veritatem cognoscendam idonea. Sed minime requiritur ut *prius cognoscamus* nos talem facultatem habere, ut ea utamur ad eiusdem veracitatem cognoscendam. In ipso autem exercitio huius reflexae cognitionis duo sunt diligenter distinguenda, videlicet illud, quod se tenet ex parte motivi *obiectivi* in cognitionem influentis, et *ipsiusmet exercitium* cognitionis reflexae quae habetur. Hoc postremum non concurret, ut quid *cognitum*, sed ut quid *existens*. Ut enim suo loco declaravimus [18, 21], ipse cognoscendi actus ducit potentiam in notitiam obiecti ut signum formale, non obiectivum. Iam vero motivum obiectivum, quo pervenitur ad cognoscendam veracitatem nostrarum facultatum, continetur iis, quae in probatione thesisi fuere allata, et rudi saltem modo apprehenditur ab eo, qui reflexam cognitionem habet de tali veracitate. Actus vero ipse quo talis cognitio perficitur, debet utique *esse verax*, haec tamen veracitas non opus est ut *signale cognoscatur*. Poterit utique intellectus per novam reflexionem diiudicare de veracitate prioris actus, et tunc iste ad cognitionem concurreret per modum obiecti cogniti, sed novus

actus secundae reflexionis et ipse se habebit ut medium, non ut obiectum.

Obiectio II. — Pars appetitiva in homine natura sua propensa est in malum. Quidni similiter pars cognoscitiva natura sua dicitur in falsum ordinata?

Respondeo. *Neg. antecedens.* Appetitus de se fertur in bonum, ac propterea malum, qua tale, nequit esse terminus appetitionis cuiuscumque. In homine vero propter multiplicatam appetitionum saepe contingit, ut quod congruit inspecta una appetitione, minime congruat secundum aliam; unde fit ut saepenumero id rationem deturpet quod sensum delectat. Id tamen non est vitio naturae tribuendum, sed inordinationi liberi arbitrii. Ex ipso enim naturae ordine appetitus inferior subicitur superiori, voluntas vero ratione regulari debet.

Obiectio III. — Cognitio, praesertim sensilis, est quid subiectivum. Ergo nequit nos certiores facere de rebus ab ea distinctis.

Respondeo. *Dist. antec.*, quatenus est actus subiecto cognoscendi immanens, *conc.*; quatenus nihil aliud repraesentet nisi seipsam aut subiecti cognoscens modificationem, *neg.* Recole, quae supra notavimus [265] eum Suarez de *terminatione* cognitionis in obiectum. Si enim attente res consideretur, scepticorum sophismata contra veritatem cognitionis magna ex parte oriuntur ex materiali modo, quo praedictam terminationem imaginantur, et ex tali imaginatione exorta est etiam famosa illa quaestio *de ponte*, de qua supra. Unde egregie Matthaeus Liberatore ita hanc doctrinam sensationi applicat. * Sensationibus in mera subiectivitate conclusis, inquisitio magna, plerumque sine exitu, fieri coepit est *de ponte*, qui nos ex sensationibus ad earum obiecta ut vere existentia transferret. At pons iste ipsa sensatio est, quae, ut saepe diximus, ad rem concretam et praesentem terminatur. Et sane, sicut intellectio est cognitio intellectualis, sic sensatio est cognitio sensitiva. At omnis cognitio vinculum quoddam est inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum, et unum cum altero per se coniungit. Quare sensatio hoc ipso, quod

obiectum extra animam positum et actu praesens refert, iam subiectum, ad cognitionem quod attinet, extra se transfert. Quare, si rite natura sensationis intelligatur, non pons quaerendus est, quo sentiens ex sensatione ad obiectum transeat; sed potius quaerendus est pons, quo cognoscens in semetipsum redire valeat, nimirum quo clare et distincte sensationis habitae fiat conscius. Id autem, ut inferius dicemus, ope reflexionis animae spiritualis efficitur. (*Instit. Philos. Log. n. 152.*)

Obiectio IV. — Sensus exteriores referunt sensibilia propria ut qualitates corporibus inhaerentes. Atqui huiusmodi sensibilia non dantur in corporibus: sunt enim in actu sensationis dumtaxat.

Responsio, quae post Cartesii tempora sat communiter huic difficultati solet adhiberi, distinguit inter sensibilia propria *formaliter* considerata, nempe inspecto illo modo realitatis, quem sensus apprehendunt, ex. gr. *coloris, saporis* etc., et inter *causam efficientem*, quae sensus determinat ad tales sensationes. Hac distinctione facta, conceditur reipsa non dari in corporibus sensibilia propria priori modo considerata, sed negatur inde esse consequens, perceptionem sensitivam in talis obiecti perceptione falli. Existit enim, aiunt, in corporibus *causa efficiens*, quae sensum determinat ad sic percipiendum. Sed, ut verum fatear, haec responsio difficultatem propositam nullo modo solvit. Ratio enim *obiecti* longe alia est a ratione *causae efficientis*, tametsi in una eademque re coniunctae saepe inveniantur. Fingesis ab aliquo spiritu cieri in aëre vel aethere eosdem motus locales, qui effluat supponuntur v. g. a *pomo*, (qui enim haec respondent, supponunt totam corporum activitatem solo potuque motu locali contineri), dicitur ne iste spiritus induere accidentia, quae in pomo referunt sensus nostri? Non puto. Quocirca solidiorem iudicamus responsonem traditam a Matthaeo Liberatore, et cum eo dicimus. * Opinionem, quae tam invaluit post Cartesium, nempe quod in obiectis sensationum non insit nisi motus, color vero, sapor etc. sint modi, quibus ipse sensus vestit quodammodo motus in se receptos, esse

falsam et perniciosam. Est quidem falsa, quia cum cognitio quaevis sit per assimilationem, perceptio sensibilis debet referre id ipsum quod in obiectis est. Ergo, cum referat colorem, saporem, etc., in ipsis obiectis debet esse qualitas, a motu diversa, quae sensili representationi respondeat. Est autem perniciosa, quia aliquid simile formis Kantianis tribuit sensibus, ac proinde transcendentali idealismo aperit viam. Certe, si sensus dat motibus ab obiecto provenientibus representationem, qui nihil respondeat in rebus, hoc etiam multo facilius efficiet mens; atque ideo tota nostra cognitio solis phaenomenis continebitur. Hac igitur opinione reiecta, qualitates a motu diversae admitti debent, easque sensus iure testantur inesse corporibus. Quare negatur *minor* argumenti, et ad eius probationem negatur *suppositum*, nempe colorem, saporem et cetera non esse nisi sensationes. Sunt enim qualitates realiter existentes in corporibus; atque in hoc rectius iudicat vulgus, quam Cartesiani. (*Instit. Philos. Logicae Pars altera*, n. 49. obiect. IV.)

Obiectio V. — Cui aliqua pars corporis amputatur, saepe in illa parte, quam non amplius habet, dolorem persentiscit. Ergo sensationi, prout subiectiva est, deceptio subesse potest.

Respondeo. *Neg. antec.* Nam reipsa dolor ille non sentitur nisi in extremitate nervorum qui secti sunt. Huiusmodi vero sensus doloris, praesertim si intensus sit, saepe propter praeviam consuetudinem ab imaginatione offertur quasi praesens in parte corporis, quae antea habebatur, et sic decipitur intellectus.

Obiectio VI. — Conscientiae testimonium minime refert naturam intimam internarum affectionum, et causarum unde procedunt. Ergo non est medium idoneum ad anteriorem animi statum cognoscendum.

Respondeo. *Neg. consequentiam.* Aliud est, testimonium conscientiae non omnia cognosci, quae ad nos pertinent, aliud vero deceptionem haberi in iis quae refert. Iam vero explicare naturam affectionum, quas experimur, et causarum, unde proficiscuntur, officium rationis est, et

indagationem postulat valde subtilem. Quodnam vero sit conscientiae obiectum, supra exposuimus [268].

Obiectio VII. — Intellectus noster est natura sua fallibilis; est enim finitus. Ergo nihil prohibet, semper fallatur etiam in primis principiis.

Respondeo. *Transmissa eius probatione, dist. antec.* Intellectus noster est natura sua fallibilis. h. e. ordinatus ad errorem, *neg.*; sic ordinatus ad veritatem, ut ab ea deficere possit, *subd.*; quando praetergreditur regulam ab ipsa natura ei assignatam ad verum obtinendum, *concl.*; semper et in omnibus, *neg.*

Ut suo loco animadvertimus [257], sola limitatio virtutis cognoscitivae ignorantiam aliquam saltem negativam inducit, sed non errorem. Ad hunc habendum requiritur praeterea, ut a regula veritatis devietur. Quare si sit aliqua virtus cognoscitiva finita, quae tamen nequeat deviare ab hac regula, dicenda esset infallibilis; et eiusmodi est ex. gr. lumen supernaturale fidei infusae; ut docent theologo. Et haec est ratio, quamobrem transmissum probationem allatam in antecedente. Intellectus autem noster, si in sua naturali virtute cognoscendi tantummodo consideretur, nec etiam falli potest in iis, quae lumine primorum principiorum illustrantur. Quippe ex tali lumine omnis evidentialis enascitur; evidentialis autem est suprema regula veritatis a natura tradita, ut paulo inferius ostendimus. Quocirca impossibile est, ut intellectus fallatur sive in perceptione et iudicio primorum principiorum, sive in deducendis illationibus quae in illis virtute continentur. Quoniam vero ex ipsa naturali sua imperfectione contingere potest, ut impediatur quandoque a diversis causis erroris supra recensitis [255], quominus praescriptam veritatis normam sequatur, hinc dicitur suaapte natura fallibilis, quae proinde fallibilitas non semper sed quandoque tantum reducitur ad actum.

Obiectio VIII. — Ut conclusio possit legitime fluere ex principiis, necesse est eius notitia continetur in notitia principiorum. Atqui hoc perinde est, ac conclusionem iam cognosci ab eo, qui cognoscit principia. Ergo ope ra-

tiocinii non videtur haberi cognitio novae veritatis, sed potius reminiscencia quaedam.

Respondeo. Hanc difficultatem ita egregie resolvit S. Thomas ex doctrina Philosophi. " Illud, ait, quod quis addiscit, nihil prohibet primo quodammodo scire et quodammodo ignorare. Non enim est inconveniens, si aliquis quodammodo praesciat id quod addiscit: sed esset inconveniens, si hoc modo praecognosceret secundum quod addiscit. Addiscere enim proprie est scientiam in aliquo generari. Quod autem generatur, ante generationem non fuit omnino ens, sed quodammodo ens, et quodammodo non ens. Ens quidem in potentia, non ens vero actu. Et hoc est generari, reduci de potentia in actum. Unde nec id quod quis addiscit, erat prius omnino notum, ut Plato posuit, nec omnino ignotum... Sed erat notum potentia, sive virtute in principiis praecognitis universalibus, ignotum autem actu secundum propriam cognitionem. Et hoc est addiscere, reduci de cognitione potenciali seu virtuali aut universali in cognitionem propriam et actualem. " (I. *Prior. Analyt.* lect. 3.)

SECTIO IV.

An existat internum certitudinis criterium.

283. **Quid nomine criterii significetur.** — Criterium, quasi *indicatorium*, generatim significat organum seu instrumentum iudicandi. Vox proinde *criterii* apud Logicos complectitur principia omnia, quae ad veritatem assequendam et ad certitudinem gignendam concurrunt. In hac generali acceptione ipsae cognoscendi facultates hoc nomen merentur. Contracla tamen significatione, nomine *criterii* intelligitur in praesenti *id unde proxime dirigitur mens in iudicando*; ac propterea criterium certitudinis nihil

aliud est, quam id unde proxime dirigitur mens, ut infallibiliter et sine erroris formidine obiecto adhaereat. In hac acceptione considerari debet, quasi distinctum tum a facultate cognoscitiva qua tali, tum ab obiecto cognito quatenus est terminus cognitionis. Facultas enim cognoscitiva criterio eget a quo dirigitur, ne a suo fine deflectat: obiectum vero, prout cognitionem terminat, eam non causat; criterium contra comparatur ad iudicium, ut causa. Iam age, id unde proxime dirigitur mens in certitudine, qua fruitor, duo praestat. Primo quidem, per modum *causae efficientis*, determinat ipsum assensum, qui dicitur certus. Secundo vero determinat, per modum *regulae*, id de quo assensus certus habetur. Sub priori consideratione criterium certitudinis dicitur *motivum*, et respondet quaestioni, *Cur certi sumus?* Sub altera vero consideratione dicitur *norma*, et respondet quaestioni, *Quaenam sint ea, de quibus certi esse debemus?* Quocirca tractatio de criterio certitudinis non differt a quaestione de *motivo* seu *norma certitudinis*.

284. **Motivum certitudinis adaequate inspectum.** — Cum certitudo sit dos cognitionis; cognitio autem, ut pluries notavimus, sit communis quasi partus cognoscentis et cogniti: motivum certitudinis, adaequate si consideretur, sumi debet partim ex obiecto cognoscibili, partim ex mente cognoscente. Cf. Silvestrum Mauro (*Og. Philos.* lib. I. q. 2, et 3.). Ex parte obiecti cognoscibilis, movet ratio ontologica, propter quam *ut cognitam* adhibetur assensus. Talis est obiectiva et immediata conexio terminorum quoad iudicia intelligentiae; et obiectiva conexio seu continentia conclusionis in principiis, si sermo sit de iudiciis rationis. Ex parte vero mentis, movet lux intelligibilis, qua mens quodammodo irradiatur, ut obiectum ei praesentetur et applicetur modo idoneo ad assensum eliciendum. Discrimen est valde notandum inter motivum, prout uno vel altero modo inspicitur. Etenim sub primo aspectu movet, *ut cognitum*, et propterea dicitur *obiectivum*: prout vero secundo modo inspicitur, movet ad instar *signi formalis* [18], h. e. per hoc ipsum, quod formaliter af-

ficit potentiam cognoscitivam, sicut se habent simplices apprehensiones respectu iudicii, et iudicia immediata respectu conclusionis, et hoc sensu dicitur *motivum formale*.

285. **Criterion internum et externum.** — Criterium communiter dividitur in *internum* et *externum*. Discrimen inter utrumque optime declaravit Angelicus ex doctrina ab Augustino tradita. (*Epist.* 147. al. 112. c. 2.) * Dicendum, ait, quod secundum Augustinum, *creduntur illa, quae absunt sensibus nostris, si videtur idoneum testimonium, quod eis perhibetur; videntur autem, quae praesto sunt vel animi vel corporis sensibus*. Quae quidem doctrina evidens est in his, quae praesto sunt corporis sensibus; in quibus manifestum est, quid praesto sit corporis sensibus, et quid non. Sed in sensibus animi, cum quid praesto esse dicatur, magis latet; illa tamen praesto esse dicuntur intellectui, *quae capacitatem eius non excedunt, ut intuitus intellectus in eis figuratur*; talibus enim aliquis assentit non propter testimonium alienum, sed propter testimonium proprii intellectus. Illa vero quae facultatem intellectus excedunt, absentia esse dicuntur a sensibus animi, unde intellectus in eis figi non potest; unde eis non possumus assentire propter proprium testimonium, sed propter testimonium alienum; et haec proprie credita dicuntur. (Qq. Disp. *Verit.* q. 14. a. 9.) Ex hac declaratione manifestum est, quid ex parte sive obiecti sive mentis concurrat, ut constituitur criterium, quod *internum* nuncupamus. Ex parte quidem obiecti habetur ipsa rei entitas, quae se offert menti, inspecta sive in se sive in ordine ad suas causas seu proprietates. Ex parte vero mentis concurrat ipsa eius capacitas seu sufficientia virtutis ad rem intueandam sive in se sive in principiis. Unde quae tali criterio diiudicantur, dicimur *videre* vel *scire*. Criterium vero *externum* est testimonium intellectus alieni: quambrem versatur circa rem visam aut scitam non ab eo, qui credit, sed ab eo cui credit. Hinc Augustinus l. c. pulchre ait. * Num satis est, ut inter videre et credere hoc distare dicamus, quia praesentia videntur, creduntur absentia? Plane forsitan satis est, si praesentia illa hoc

loco intelligamus dicta, quae praesto sunt sensibus sive animi, sive corporis, unde etiam ducto vocabulo praesentia nominantur. Sic enim hanc huc corporis sensu, sic et meam voluntatem plane video, quia praesto est animi sensibus, atque intus mihi praesens est. Si quis vero mihi indicet voluntatem suam, cuius os et vox mihi praesens est; tamen quia ipsa voluntas quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei, credo, non video, aut si eum mentiri existimo, non credo, etsi forte, ut dicit ita sit. * Et paulo inferius. * In iis quae vidimus, vel videmus, nos ipsi testes sumus; in iis autem, quae credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus, nec videmus, dantur signa vel in vocibus vel in litteris, vel in quibusque documentis, quibus visis non visa credantur. *

286. **Quaestio pertractanda.** — Supposita praecedenti terminorum explicatione, ac naturali veracitate facultatum, quibus a natura instrumitur ad cognoscendum, supervacanea videri potest quaestio, num in natura humana reipsa detur aliquod internum veritatis criterium. Non defuere tamen, praeter scepticos, qui id inficiarentur. Daniel Huetius, episcopus Atrebatensis in Gallia, sub initium seculi elapsi, ut rationalistarum placita radicibus convelleret, ita necessariam esse docuit divinam revelationem per infallibile Ecclesiae magisterium humano generi propositam, ut, sublata fide huic revelationi inmixta, ratio naturalis plane impotens sit, ut certitudinem veri nominis de re quapiam adipiscatur. Huic sententiae plus minusve subscriperunt recentiores Traditionalistae. Felicitas vero De Lamennais hanc doctrinam ita exposuit, ut non Ecclesiae magisterium, sed universi humani generis consensus haberi debeat tamquam necessarium organum, per quod divina revelatio ad singulos pervenit, et sine quo non remanet nisi scepticismus universalis. Quid sentendum de hoc opinandi modo, declarabit sequens

THESIS VIII.

Potest humana mens, naturali sua virtute, veri nominis certitudinem obtinere, quae non nitatur auctoritate extrinseci testimonii, tanquam motivo proprio sui assensus.

287. *Declaratio ac probatio.* — In antecessum probe intelligas, quid in praesenti probare oporteat. Non est hic sermo de *genesi* nostrorum conceptuum, ac propterea modo non disputamus, utrum aliorum magisterium necessario requiratur, ut obiecta intelligibilia apte proponantur menti, quemadmodum contingit quando scientia adquiritur per disciplinam, prout egregie declarat S. Thomas (Qq. Disp. *Verit.* 11. a. 1.); multoque minus hic quaerimus de origine sermonis. Utraque haec quaestio alibi resolvi debet. Id unum proinde in disputationem adducitur, nimirum an *motivum* cuiusque assensus naturaliter certi unice sit *extrinseci testimonii auctoritas*, sive, quod in idem recidit, utrum nec ne detur certitudo in natura humana, quae sit alia a certitudine fidei.

Haec explicatione supposita, en probatio thesis eaque valde obvia. Vel enim supponitur ratio naturaliter facta ad veritatem detegendam vel non. Si hoc secundum dicitur, universalis scepticismus necessario consequitur, quo semel posito, certitudo quaequam a mente exulabit. Si vero dicitur primum, necesse est fateri, prout ante ostensum est, mentem non posse falli, ac idcirco veri nominis certitudinem obtinere posse in iis, quae eius intuitioni patent immediate, aut inde legitima et evidenti ratiocinatione deducuntur. In hoc autem mens minime innititur alieni testimonii auctoritate, tanquam motivo proprio sui assensus; sed veritatem videt in priori casu, scilicet in posteriori. Ergo mens, naturali sua virtute, vel nullam certitudinem obtinere potest, vel eam adipisci poterit, quin

fulciatur extrinseci testimonii auctoritate ut motivo proprio sui assensus. Atqui mentem non posse naturali sua virtute certitudinem obtinere nec dici potest, nec revera dicitur ab adversariis, contra quos militat propositio adstructa; alias nempe, ut sceptici refelli deberent, ut supra [224...].

Nec dicatur, satis consultum esse humanae certitudini per viam *fidei*. Id enim multiplici ratione excluditur. Et re quidem vera

I. Id est manifeste falsum quoad ea, quae testimonio propriae conscientiae referuntur, quaeque profecto cuique sunt certissima. Risibile enim esset postulare testimonium aliorum in rebus huiusmodi, quo certior fiat ex. gr. num existat, num velit, etc.

II. Ut fidem adhibeam testimonio alieno, mihi certe constare debet: *a)* me existere, ac vigilare, neque esse dementia correptum; *b)* eum vel eos, quibus credo, pariter existere, nec in loquendo falli vel fallere; *c)* eosdem de facto mihi locutos fuisse, eorumdumque sermonem hie a me intelligi, videlicet iuxta mentem ipsorum. Porro haec constare nequeunt, nisi ut certa supponantur multa, vel propterea quod immediata intuitione patent, vel quia inde legitimo discursu derivantur, h. e. scientia aut visione, non vero fide.

288. *Corollaria.* — Ex dictis tria facile intelliguntur.

I. Divina revelatio non est unicum nec tempore primum humanae certitudinis criterium.

II. Turpiter erravit Felicitas De Lamennais, cum primam et universalem certitudinis regulam in humani generis consensu collocandam esse existimavit. Cf. *Liberatore*. (*Conoscenza intellettuale*, vol. 1. c. 1.)

III. Quicumque, tanquam ultimam et universalem normam humanae certitudinis, auctoritatem extrinseci testimonii esse definiunt, scientiam aequae ac fidem omnem de medio auferunt. Quocirca Traditionalistarum opinandi modus est ipsi catholicae fidei inimicus. Cf. cl. J. Kleutgen. (*Filos. Antica*, tratt. 3. c. 3. 4.)

Solvuntur difficultates.

289. — Adversarii saepe in suae opinionis confirmationem easdem plane difficultates proferunt quas sceptici. Quocirca non opus est hic repetere, quae in eandem solutionem iam adduximus [229, 282]. Speciatim vero haec alia obiciunt.

Obiectio I. — Asserta rationis individuae infallibilitas minime videtur secerni a spiritu privato protestantium. Ergo, ut iste, sic illa reiici debet.

Respondeo. *Neg. antec.* In iis quae divinitus sunt revelata, tenenda est regula ab ipso Deo constituta, ut ea infallibiliter humano generi proponantur. Haec porro regula est Ecclesiae Catholicae magisterium. Hoc vero minime probat, auctoritatem extrinseci testimonii esse regulam unice sequendam in omnibus. Immo etiam respectu divinae revelationis, antequam credatur eam de facto existere eiusque organum esse Ecclesiae Catholicae infallibile magisterium, necesse est utrumque sufficienter cuque proponatur per evidentiam, quam dicunt *credibilitatis*, quaeque nulla profecto esset quin praesupponatur naturalis veracitas rationis individualis.

Instabis. Mens creata nequit esse iudex veritatis, multoque minus eam producere. Atqui utrumque fieret in nostra sententia.

Resp. *Dist. 1. part. mai.* Mens humana nequit esse iudex veritatis independens a regula superiori, *conc.*; ab hac regula dependens, *neg. Dist. 2. part.* Nequit producere veritatem ut est in intellectu divino, *conc.*; ut est in intellectu creato, *subd.*; virtute imparticipata, *conc.*; virtute participata, *neg. Contradist. pariter minore.*

Ad rem S. Thomas. "Dicendum quod anima non secundum quaevis veritatem indicat de rebus omnibus, sed secundum veritatem primam, in quantum resultat in ea, sicut in speculo, secundum prima intelligibilia. Unde sequitur, quod veritas prima sit maior anima. Et tamen

etiam veritas creata, quae est in intellectu nostro, est maior anima, non simpliciter sed secundum quid, in quantum est perfectio eius, sicut etiam scientia posset dici maior anima. (Summa th. 1. p. q. 16. a. 6. ad 1.) Cf. etiam egregium opusculum eiusdem S. Doctoris in lib. Boëtii *De Trinitate*, q. 1. a. 1.

Obiectio II. — Rudes et pueri, qui ductum naturae sequuntur, non aliam iudicandi normam habent nisi auctoritalem. Ergo haec est unicum criterium veritatis a natura profectum.

Respondeo. *Neg. antec.* Ruru enim exciperetur, qui diceret rudes et pueros, qui rationis usum habent, auctoritate extrinseca determinari etiam, ut iudicent ex. gr. se existere. Ceterum non negamus maiorem esse propensionem ad fidem aliis adhibendam in rudibus et pueris, quam in doctis et eruditis, idque ex provido naturae instinctu; magis enim experiuntur proprii intellectus infirmitatem et sic facilius recurrunt ad scientiam aliorum. Hinc illud praecclare dictum Angelici. "Ceteris paribus visio est certior auditu. Sed si ille, a quo auditur, multum excedit visum videntis, sic certior est auditus quam visus: sicut aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur. (Summa th. 2. 2^o q. 4. a. 8. ad 2.)

Obiectio III. — Etiam homines sapientes, cum inter se dissentiant, alterius arbitrio se committunt; immo generatim, cum advertimus alios contra nos sentire, illico dubitare incipimus. Ergo signum est auctoritatem esse normam certitudinis ultimam et supremam.

Respondeo. *Dist. 1. part. antec.* In rebus dubiis, *conc.*; in evidentibus, *subdist.*; quasi evidentia non sufficiat illi qui eam reipsa habet, *neg.*; ut is, qui eam non habet, edoceatur, *conc. Dist. etiam 2. part.* Quatenus huiusmodi dissensus aliorum, ut plurimum, indicio est, nobis veri nominis evidentiam deesse, *conc.*; etiam quando talem evidentiam habemus, *neg.*

Testimonium extrinsecum debita auctoritate commu-

nitum, etsi non unicum nec tempore primum veritatis criterium dici potest, utile admodum ac saepe necessarium est ad veritatis investigationem et assecutionem. Idque maxime contingit, cum in iudicando species aliqua ac veluti igniculus evidentiae videtur adesse, sed non veri nominis evidentia, qualem in sequenti sectione describemus. Atque hinc oriuntur ea, quae in propositae difficultatis antecedente commemorantur. Unde illatio non sequitur.

Obiecto IV. — Tristissima experientia constat, philosophos cuiusque aetatis in turpissimos errores incidisse absque illustratione divinae revelationis. Ergo ratio humana, sine hac luce, nunquam sibi confidere potest, ut aliquid pro certo amplectatur.

Respondeo. *Neg. consequentiam.* Errores praedicti nunquam fuere circa prima principia communia intelligentiae, licet quidam illa *ore* negaverint [229]. Quoad conclusiones vero ratiocinatione deducta, non paucae inveniuntur a philosophis etiam paganis demonstrative probatae. Quod si in turpissimos errores inciderint, id unice probat divinam revelationem respectu veritatum naturalis ordinis esse humano generi summopere utilem atque adeo moraliter necessariam, quod minime inficiamur, sed oportunitiori loco ex professo demonstrabimus.

SECTIO V.

Notio evidentiae ex mente Doctoris Angelici.

290. **Argumentum.** — Cum ex diets in superiori sectione satis constet agnoscendum esse aliquod internum humanae certitudinis criterium, consequenter inquirendum superest, ejusmodi sit et qua in re reponi debeat. Tale porro criterium non aliud esse censemus, nisi ipsam naturalem rationis *evidentiam*. Quoniam vero id potissimum

elucescit ex ipsa terminorum explicatione, hinc antequam nostram sententiam comprobemus, operae pretium erit proprium eius conceptum distincte praeformare. Ne autem hac in re deeremus, doctrinam Angelici fidelissime conabimur exponere et quasi exscribere.

291. **Quid nomine evidentiae significetur.** — Nomen *evidentiae* a *visione* derivatur, eoque significatur quaedam prominens obiecti perspicuitas, ratione cuius hoc veluti ultra se contuendum porrigit. Ad rem Tullius. * Propterea quod nihil clarius *εραπειε*, ut Graeci, perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet, nominemus. (4. *Acad.*) Quid vero sit huiusmodi *perspicuitas*, non potest melius explicari, quam iisdem verbis S. Augustini et S. Thomae, quae in praecedenti sectione retulimus [285]. Consistit nempe evidentia intellectualis, de qua hic est sermo, in quadam *proportionem seu commensurationem inter rei veritatem et capacitatem intellectuum mentis, ratione cuius istius intuitus seu visio in ea figi queat*. Cum vero obiectum per se non sufficienter movet intellectum ad sui perspicuitatem, sed postulat inclinatio aliunde habita, puta ex voluntate, ut intellectus ei adhaereat, tunc veritas non videtur, sed opinative tenetur vel creditur. Audiatur rursus Angelicus Doctor. * Assentit intellectus alicui dupliciter. Uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso obiecto, quod est vel per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus; vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam; et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. *Illam autem videri dicuntur, quae per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem*. Unde manifestum est, quod nec fides nec opinio potest esse de ipsis visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum. (Summa th. 2. 2^o q. 1. a. 4.)

292. **Quid sit illud, quo veritas fit evidens.** — Nomen

evidens, sicut ceteri termini concreti [49], aliud significat materialiter sive *in recto*, aliud vero formaliter sive *in obliquo*. Primo modo significatur res ipsa, quae fit evidens: alio modo designatur forma quae evadit evidens. Res ipsa, quae denominatur evidens primario est ipsamet rei enlitas seu veritas, ut patet ex communi loquendi more. Sic dicimus, *haec veritas, hoc meritum, vel periculum sunt evidētia*. Inde vero transferitur hoc nomen ad denominandum evidentem ipsum actum perceptionis vel iudicii, quo talia conspiciuntur vel diiudicantur: et sic nominamus perceptionem evidentem, iudicium evidens, quia nempe *circa evidens obiectum versantur*. Quod si quaeratur, in quo formaliter reponi debeat ipsa veluti lux, qua obiectum eiusque visio evidētia sunt, h. e. si quaeratur in quo tandem consistat ipsa evidētia non *materialiter sed formaliter* considerata, respondemus cum S. Thoma, eam *in ipso mentis lumine* quaerendam esse. Quemadmodum enim per lucem corpoream obiecta praesto sunt sensibus corporis, ita per lucem intellectualem in mente nostra a Deo inditam intelligibilis veritas praesto est eidem menti. Atqui id, quo veritas praesto est oculo mentis, sive facultati perceptivae intellectus, est ipsamet evidētia formaliter considerata, ut ex praemissis patet. Apposite S. Thomas, "Praeexistunt in nobis, ait, quaedam scientiarum semina, scilicet primae conceptiones intellectus, quae statim *lumine intellectus agentis* (1) cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa, ut dignitates,

(1) Nomen *intellectus agentis* significatur in doctrina S. Thomae spiritualis animae facultas, quae proposito materiali obiecto in phantasmatē, illud *illuminat*, quatenus per abstractionem speciei intelligibilis facit illud intelligibile in actu. Quo pacto id fiat, alterius loci quaestio est. In praesenti sufficiat animadvertere, hoc nomine iudicari a S. Doctore aliquid animae inhaerens, et a perceptiva virtute mentis (*intellectus possibilis*) reipsa distinctum. Cf. *Summa th.* I, p. q. 79 a. 3. 4. Quocirca *illuminatio*, quae est proprius actus praedictae facultatis, non est ipse actus perceptivus mentis, sed eiusdem causa. Appellatur vero *intellectus*, non quia eius actus sit intelligere, sed quia obiectum reddit *actu intelligibile*.

sive incomplexa, ut ratio entis, et unius, ut huiusmodi, quae statim intellectus apprehendit. Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus. (Qq. Disp. *Verit.* q. 11. a. 1.) Et paulo inferius, cum exposuerit duplicem modum derivandi conclusiones ex principiis praedictis, videlicet per viam inventionis et disciplinae, haec subdit. "Si autem aliquis alicui proponat ea, quae in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur, non facit in eo scientiam, sed forte opinionem vel fidem: quamvis etiam hoc aliquo modo ex principiis innatis causeatur. Ex ipsis enim principiis per se notis considerat, quod ea, quae ex eis necessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quae vero eis sunt contraria, totaliter respuenda; aliis autem assensum praebere potest vel non. *Huiusmodi autem rationis lumen, quo principia huiusmodi sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum, quasi quaedam similitudo increatae veritatis in nobis resultantis.*" Huc usque S. Doctor. Id ipsum perspicue docet (3. *Dist.* 23. q. 2. a. 2.). Cum enim ibi eleganter exposuisset, qua ratione intellectus in solo statu certitudinis, secus ac in dubio et opinione, determinetur ad unum, haec addit in solut. 3. "In intellectu principiorum causatur determinatio ex hoc, quod aliquid *per lumen intellectus* sufficienter inspicit per ipsum potest: in scientia vero conclusionum causatur determinatio ex hoc, quod conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur.... Ideo certitudo, quae est in scientia et in intellectu, *est ex ipsa evidētia eorum quae certa esse dicuntur.*"

293. **Undenam nomen lucis seu luminis, prout menti applicatur.** — Ex dictis duo intelliguntur, quae ad rectam notionem evidētiaē efformandam apprime faciunt. Primo itaque patet, qua ratione nomen *lucis* ducatur ex luce corporali ad lucem intellectualem designandam. Sicut enim lux dicitur in corporalibus, quod facit manifestationem in sensu visus, ita extensum est hoc nomen ad significandum in spiritualibus, quod facit manifestationem secundum quancumque cognitionem. Apposite S. Thomas.

* Transferuntur, ait, corporalia in spiritualia per quamdam similitudinem, quae quidem est similitudo proportionabilitatis: et hanc similitudinem oportet reducere in aliquam communitatem proportionis vel analogiae. Et sic est in proposito: dicitur enim lux in spiritualibus illud, quod ita se habet ad manifestationem intellectivam, sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam. (2. *Dist.* 13. q. 1. a. 2.) Perperam vero comparatio sic urgetur, ut quemadmodum lux corporalis est aliquid extrinsecum sentiendi, ita lumen rationis naturaliter nobis inditum ad manifestationem veritatis sit aliquid extrinsecum intelligenti. Comparatio enim utriusque luminis consistit in munere, quod proportionaliter praestant in manifestatione obiecti, non vero in modo essendi quem habent. Apposite rursus S. Thomas. "Oculus corporalis, ait, ex illustratione solis corporalis non consequitur lumen aliqnod sibi naturale, per quod facere possit visibilia in actu, sicut consequitur mens ex illustratione solis increati: et ideo oculus indiget semper exteriori lumine, et non mens." (Super Boët. *De Trinitate*, q. 1. a. 1. ad 3.)

294. **Discrimen evidētiaē a certitudine.** — Intellegitur secundo, qua ratione evidētia, formaliter inspecta, differat a certitudine, quando simul coniunguntur. Certitudo enim, quam supra [224] diximus *inhaesivam* et *adhaesivam*, differt ab evidētia sicut effectus a causa. Unde solemus dicere, nos *cogi ab evidētia, evidētia non sinere nos dubitare*, aliaque his consimilia. Quod si mutuo comparentur evidētia *formalis* et certitudo *obiectiva*, discrimen viget in eo, quod certitudo *obiectiva*, praecise spectata, est ipsamet infallibilitas, seu necessaria, ut ita dicam, *se habentia* veritatis; contra evidētia *formalis* attenditur secundum perspicuitatem ac veluti *propinquitatem* eiusdem relate ad captum mentis. Unde acute observat Card. de Lugo. "Ad convincendum, intellectum, et determinandum ad assensum non solum deservit pondus ipsius motivi, sed etiam maior claritas, qua proponitur, quae magis impedit dubium et formidinem de obiecto, quam pondus solum motivi absque ea claritate cogniti." (*De Fide Divina*,

Disp. 2. n. 42.) Haec de causa quotidie experimur, multa quae firmiteribus motivis fulciri intelligimus, minus tamen perspicue nobis innotescere praec aliis quae motivo minus firmo imittuntur, propter debilitatem nimirum luminis intellectualis, quod est in nobis. Hinc illud egregium pronuntiatum Philosophi (2. *Metaph.* c. 1.): *Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestissima omnium sunt.*

295. **Divisio evidētiaē in obiectivam et subiectivam.**

Quod spectat evidētiaē divisionem, ea passim in *obiectivam* et *subiectivam* distribuitur. Ut patet ex praecedentibus, haec divisio non convenit per se evidētiaē *formaliter* inspectae: haec enim semper est aliquid menti inhaerens, sicut ipsum rationis lumen. Recta tamen est allata divisio, si referatur ad evidētiaē *materialiter* consideratam. Ut enim supra diximus [292], per naturale lumen rationis primo quidem illustratur ipsum obiectum, quod mentis intuitioni offertur: secundario vero haec ipsa intuitio, quemadmodum visio oculorum evadit lucida propter lucem, quae ex obiecto reflectitur in ipsam. Evidētia, prout illustrat obiectum, quod manifestat menti, vocatur *obiectiva*: prout vero inde derivatur in ipsam mentis intuitionem, dicitur *subiectiva*.

296. **Evidētia mediata, et immediata; metaphysica, physica, et moralis.** — Evidētia dicitur mediata vel immediata, prout obiectum menti patet cum discursu, vel sine discursu rationis. Unde haec proprie est subdivisio evidētiaē subiective inspectae. Quod si obiective consideretur, erit *metaphysica, physica, vel moralis*, prout motivum, quod ex parte obiecti ad assensum pertahit, est metaphysice, physice, aut moraliter certum. Haec facilia sunt, et ex his quae in praecedenti disputatione diximus satis intelliguntur. Hoc loco potius illustranda est alia evidētiaē divisio, utpote summi momenti, non solum in philosophia, verum etiam in theologia.

297. **Evidētia veritatis, probabilitatis, et credibilitatis.** — Est itaque probe considerandum, evidētiaē